



C. D.

E. 21. num. 8.

18.

24

DISSERTATIO JURIDICA,
DE
MATRIMONIO
PER SUBSTITUTUM
CONTRACTO

9709,7

9386

CONSENSU ^{QVAM} MAGNIFICÆ FACULTATIS
JURIDICÆ ROSTOCHIENSIS
PRÆSIDE

VIRO PRÆNOBILISSIMO, CONSULTIS-
SIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO,

DN. JOH. JOACHIMO
SCHOEPFFERO,

ICTO ET PROF. JUR. ORDIN. COMITE PALAT.
CÆSAREO, CONSISTORII DUCALIS CONSILIARIO ET
CANCELLARIÆ MECKLENBURGENSIS VICE-
DIRECTORE GRAVISSIMO

DN: FAVTORE ac Studiorum Meorum PROMTORE etatem colenda
D, Oëtobr; Anno MDCCIX.

IN AUDITORIO MAJORI

HORIS CONSVETIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

FRIED: VER MEHREN,

LL. Stud:

ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC. ET ACAD. TYPCGR.



MAJESTATE
SACRAE
CONSTITUTIONIS
COMMISSARIUS
PRAESIDIUM
CIVIS
FR. JOH. JOACHIMUS
SCHÖNBERGER
ORDIN. COMIT. PALAT.
CAPELLANUS
DIRECTOR
FR. JOH. JOACHIMUS
SCHÖNBERGER
ORDIN. COMIT. PALAT.
CAPELLANUS
DIRECTOR
FR. JOH. JOACHIMUS
SCHÖNBERGER
ORDIN. COMIT. PALAT.
CAPELLANUS
DIRECTOR





B. C. D.

PRÆFATIO.



Legationes à prima societatum origine primaq; hominum communione in usu fuisse, tam sacræ, quam profanæ historiæ abunde testantur; Quo enim tempore homines diffundi, & certis Imperiis contineri cœperunt, cœperunt quoq; Legationes. Sic ex sacris constat Moy-

sen Legatos misisse ad Edomitarum Regem. *Num. 20. v. 14. Deut. 2. v. 26.* Gibeonitas ad Jotnam. *Jos. 9. v. 6.* Jephtham *Jud. 11. v. 12.* Davidem ad Hanonem. *2. Sam. 10.* & ut alia Legationum Exempla præteream. vid. poterit, Albericus. *Lib. 2. c. 29.* In profana quoq; historia omnia Legationum ob Reip. utilitatem susceptarum plena sunt. Sic Lacædemonii Legatum ad Demetrium Regem miserunt, testante *Plutarch. Lacon. in Apoph.* Ita Carthaginenses Legatos ad Asdrubalem & Syphacem miserunt *Liv. Lib. 29.* Romani ad Titum Flaminium. *Liv. Lib. 22.* &

A

ad

ad Antonium, Cic. 9. Philippic. Galli, Veneti, & Florentini ad
 Carolum V. Imperatorem *Gviciardinus* L. 13. Syracufani ad
 Siculos. *Thucidid. Lib. 7.* Imo memorabile Legationis Exem-
 plum Ducis Holfatiæ Friederici in Perfiam extat; *in Olear.*
 4 *Itinerario Perf.* quâ functus est Dn. Brygmannus. Ex in-
 tervallo enim occurrunt negotia & oriuntur, quæ non nisi
 per Legatos commodè expediri possunt; Cum enim pace,
 defensione, fœderibus, contractibus, imo rebus omnibus
 5 arduis opus fuit, Legatorum ministerio commodissime
 inter eos, quilibet diffiti, confici potuerunt. Et quid ma-
 gis arduum dici potest negotium, quam illud, quo æternam
 nitatem quasi intendimus, nempe matrimonium? Plurima
 enim in hoc vinculo diligenti & accurato consideranda
 sunt examine, in primis fœderum jus, concordia firma
 6 securitas, commerciorum utilis libertas, publicæ tran-
 quillitatis bonum, ac deniq; salutaris illa Pacis Justitiæq;
 inoscultatio. Producendi sunt affinitatum gradus, desi-
 gnandæ quæ obvenerint paucorum capitum & annorum
 lapsu hereditates, proferenda maximarum spes successio-
 7 num. Et sicuti antiquissimo jam Gentium more Principi-
 bus sponsæ per Legatos peti solent, ita & matrimonia per
 eosdem contrahuntur. Derivari Exempla à vetusta illa
 8 Abrahami, Davidis cæterorumq; Patriarcharum ætate
 possent, quæ hoc ipsum, ut fidem literæ sacræ faciunt, jam
 tum est observatum; Verum cum hancce morem nostra
 quoq; hæc admiserit ætas, in præfenti materiam *De Ma-
 trimonio per substitutum contracto* sub incudem Disputa-
 tionis revocare mecum constitui, quod autem ut D. T. O.
 M. felicissimo successu beare velit & secundare, est quod
 ardentissimis precibus ab ejus Majestate contendo.

CAP.

CAP. I.

DE

MATRIMONIO PER SUBSTITUTUM CON-
TRACTO IN GENERE.

SUMMARIA.

G eneralia quoad rubrum proponuntur n. 1. seq.	Rationes decidendi n. 23. seqq.
An differant Procurator & Nuncius n. 3.	An de dote in domum necessa- ria fuerit ad perficiendam essentiam matrimonii n. 27.
Ratio pro affirmativa n. 4.	Resp. ad rationes dubitandi n. 33. seqq.
Ratio pro negativa. n. 5.	Adducuntur Exempla n. 42. 199
Quomodo differant Legatus & Nuncius n. 6.	An privatus per substitutum matrimonium recte contra- hat. n. 50.
Definitio matrimonii per Subst. contract. n. 7.	Rationes pro negativa n. 51. seqq.
An Matrimonium per substi- tutum iniri possit n. 8.	Rationes pro affirmativa n. 54 seqq.
Rationes dubitandi n. 9. seqq.	



Rambem toties totiesque coctam,
noviter recoctam iterum appone-
rem, si prolixa operosaque vocis
Matrimonii Analyfi Dissertationis
meae initium facerem. Videri po-
test, cui volupe, Cypræus de J. Con-
nub. Cap. 1. de Beuffi d. Matrim Part.
2. c. 1. p. m. 99. Covaruvias. Tom. 1. P.
2. Cap. 2. aliq; qui uberrimam vocis

explicationem suppedi-
tarent. Sic quoq; altera vox nulla
obscuritate laborat; sed sicuti verbum notissimum, ita
evolutione quâdam haud indiget. Verum quod Synony-
miam

A 3

miam

miam vocis hujus attinet, paucissimis perquirendum erit, *an differant Procurator & nuncius*, præcipue in hac materia, ubi agitur de matrimonio. Sunt enim aliqui Doctores in ea sententiâ, nuncium quidem in hoc negotio intervenire posse, minime tamen Procuratorem, inter quos etiam Covaruvias *Tom. 1. Part. 3. Cap. 7. pag. 153. n. u.* sentiens, quod hic actus non cadat in Procuratorê. Et certè probabilis quidem hæc videtur sententia ex Jure Romano, quoties enim in Legibus Romanis mentio fit hujus materiæ, toties semper nuntii vox adhibita legitur. Vid. *L. fin. de Sponsal. L. 5. ff. de Rit. Nupt.* Cujus ratio videtur hæc esse, quod Procurator negotium ex sua voluntate, in utilitatem mandantis gerat, modo limites sibi specialiter præscriptos non excedat. Nuncius vero nihil ex sua voluntate gerit, sed tantum voluntatem illius, qui nuncium mittit, exponit. Vid. *Doctores in simili, Tit. quod Jussu.* Nunc in matrimonio exuperantior libertas desideratur illorum, qui contrahunt matrimonium, Ergo nihil ex voluntate Procuratoris, sed omnia ex voluntate mandantis geri debent, adeoque Persona substituta rectius personam Nuncii quam Procuratoris gerit. Verum Jure Canonico nulla subesse videtur diversitas, nam in *Cap. fin. de Procur. in 6to claris & perspicuis verbis dicitur, quod matrimonium per Procuratorem iniri possit.* Et quid verat, quominus eundem, quem modo Procuratorem, Nuncium vel substitutum vocavi, vocare quoque possim Legatum? Et licet sæpissime Nuncii & Legati sibi invicem opponantur ut apud Ciceronem in *Epist. 1. Lib. 15. Familiar. Certissimis authoribus, Legati, Nuncius, literis sum certior redditus.* Et Livius *Lib. 3. Si enim, inquit, fides & Nunciis & Legatis habeatur, tum hoc saltem inter ipsos discriminis quod Legatus publica induit auctoritate, & faciem secum afferens sua Respublica non privata.*

CONTRACTO IN GENERE:

vata, sed publica rei gratia solemniter & cum quadam dignitate mittatur. Nuncius vero non item. Progredior jam ad tractationem ipsam, & cum omnis quæ cum ratione suscipitur tractatio, à definitione proficisci debeat, secundum Ciceri in officio Libr. 1. Matrimonium hocce definitio, quod sit indissolubilis conjunctio à mandatario, mandato Principali, in personam ejus per benedictionem sacerdotalem inita, ipsum mandantem obligans.

7

7

Et antequam ulterius progredior, ante omnia decidenda erit quæstio, An tale matrimonium iniuri queat, sive contrahatur? Et ut rite procedam, Exempla Juris Ulpiani in L. 1. §. 9. ff. quod Legat: & Marciani, in L. 1. §. 10. ff. ad Scutum Turpill; secutus, adversariorum rationes cum nostris conferam, & in earum firmitatem pro virium tenuitate inquiram.

8

9

Pro negativa igitur militare videtur observantia, quippe quæ receptum, ut matrimonio jungendi, in propria persona compareant, nec destituta est hæc observantia rationibus sat ponderosis: Cum enim causa matrimonii negotium sit valde arduum juxta Paris Conf. 61. n. 6. Cap. fin. de proc. in 610. causa magni præjudicii. Carpz. 2. Lib. 3. Tit. 4. d. 53. n. 13. imo criminali æquiparanda. Gail. Lib. 2. Obs. 52. Heig. Part. 1. qu. 40. n. 25. Mey. Part. 2. Dec. 364. Contrahentes in propria persona se sistere quam maximè necessum habent. Præterea cum mandatariis ita tractari non potest, ut de Jure sui Principalis quicquam remittant, obstante semper mandato, quod ipsis transgredi haud licet. Et si alias omnia ordine & decenter fieri debeant in Ecclesia, non certè hic à pia & Christiana illa observantia recedendum est, Deus enim, qui Deus est ordinum. 1. Cor. 14. v. 40. Evam ex Adami costa exstructam ad Adamum ipsum adduxit, adductam copulavit, copulatamq; ei in Uxorem sociavit. Gen. 1. v. 27. & Cap. 2. v. 27. Imo etiam

10

11

etiam

8 CAP. I. DE MATRIMON: PER SUBSTITUTUM.

etiam jure naturali nititur, quod inde peripicuum red-
ditur, quia omnes ferè gentes honestatis amantes in so-
lenni ista Conjugum copulatione præsentés fuerunt. Sic
Samson ipse matrimonium cum Delila contrahit, & con-
vivium nuptiale agitat. *Jud: 14. v. 17.* Sic Tobias ipse
Saram Uxorem à Raguele petit, ipseque nuptias con-
trahit *Tob: 7.* Et quid plura refert afferre, cum omnes

12 ferè nuptia Exemplo esse possint. Et ne commoda tace-
am novorum Conjugum, vel propterea eorum præ-
sentia erit necessaria, quo sc: de dignitate ordinis matri-
monialis, cui dant nomen, & de officio s juxta normam
verbi divini utriusque parti debitis admoneantur & infor-
mentur, ut hac ratione animi jungendorum disponantur
ac coalescant, & ad illos effectus, qui matrimonium de-
cent, præparentur. *Ames. de consc: Lib: 5. c. 36. qu: 1. n. 2.*

13 Insuper non rem seriam agere videtur Minister benedi-
cens actum his verbis: Crescite & multiplicamini *Gen: 1. v. 28.* Adulterium
enim svadere quasi, eidemque fenestram aperire vide-
tur. Qvis igitur in tanti momenti negotio, quale est
matrimonium sese præsentem sistere nolle? Et quis in
tanta confusione, ubi sponsa substituto jungitur ordine
ac decenter omnia fieri dixerit? Fateor equidem nullum
in verbo Dei vel reperiri præceptum de se ipso in Hie-
rologia sistendo, vel interdictum de Procuratore non ad-
mittendo, tutius tamen videtur cedere infirmis, & reti-
nere ritus Ecclesiasticos, ne proximus præpostero adia-
phorum usu scandalizetur; Præterea malunt Principes
& superiores Legibus infra se ipsos descendere, & respe-
ctum privatum induere. *Becm: in Pol: Med: c. 7. §. 8.* quo
laudabili ostendant Exemplo decere tantam Majestatem
eas servare Leges, quibus ipsi soluti esse videbantur *L.*
23. ff. de Legat. 3. L. Digna. vox. 4. C. de L. L.

Pro

Pro negativa porro facit, quod nullus actus singula-
 rissimus & personalissimus per Procuratorem expediri
 queat. *vid. Argent. art. 429. gloss. 2. n. 2. citatus ab Henel.*
de Jure dot. al. cap. 4. § 7. Cujacius, Tom. 4. pag. 396. Sic enim 15
 per alium nemo adoptare potest vel arrogare, quia actus
 legitimus & solennis. *L. 24 §. 2. ff. de Adopt. ibiq. Brunn. n. 8.*
 Sic in interdicto de liberis exhibendis per Procuratorem 16
 agi nequit. *L. 40. pr. de Procurat.* quia non temerè petitio
 ducendi & exhibendi Civis Romani libertatem quasi im-
 minuens alii quam Patri permittenda. Sic quoq; Dux 17
 Circuli, ex extraneo electus, officii sui debita per substi-
 tutum exercere non potest, sed propria industria expe-
 dire tenetur *per R. J. de anno 1555. §. 58. Schwed. introd. ad Jus*
publ. part. gen. Cap. 5. n. 14. Et generaliter, quoties factum 18
 aliquod certæ personæ industriam & præsentiam requirit,
 toties per aliam expediri nequit, *Brun. ad Cap. 68. de R. J.*
in 6to. Nam non omnium in opere negotiove confici-
 endo eadem est industria. *L. 31. ff. de Solut.* Hic vero actus ta-
 lis est, qui religionem industriamq; ipsius contrahentis
 quam maxime desiderat, pendet enim ex hoc actu salutis
 nostræ vel conservatio vel amissio, ergo cautè fubeun-
 dus. Et hisce omnibus addi meretur *L. 2. pr. C. de his* 19
qui ven. et. impet. ubi quando aliquis quicquam facere
 debet ad solennitatem actus, debet ipse per se facere, non
 per alium. *Angel. in L. 3. ff. rem ratam hab.* Ubi cunq; enim
 aliquid fieri debet ad solennitatem actus, id fieri non po-
 test per simile, & quod pro forma requiritur non potest
 adimpleri per æquipollens. *Baldus ad L. 1. ff. de Lib. &*
posthum. In copulatione igitur requirente præsentiam &
 consensum contrahentium Procuratorem intervenire non

B

posse

- 20 posse, satis liquet. Præterea consensum in nuptiis verè & propriè non autem fictè præstandum esse, notissimi juris est: Ille autem, qui per Procuratorem consentit, non id proprie verèq; facere dicendus est, sed fictè &
- 21 impropiè, ut vult Bartolus in *L. ult. ff. de Usucap.* Et *rexus in L. 1. §. 12. ff. de vi & vi armata & L. 9. pr. ff. ad L. Aquil.* utuntur verbo: *Videtur*, ut videlicet, qui per alium facit, per se tecisse videatur: Verbum enim hoc fictionem importat; In copulatione vero personalis & corporalis desideratur præsentia, statutum enim, quod requirit præsentiam, corporalem requirit secundum Bald. in *L. 1. C. qui adm. ad bon.* Procurator igitur non satisfaceret statuto, quia licet repræsentaret consensum, non tamen præsentiam corporalem. Denique pro negativa facere videtur, quod copulandi fieri debeant una caro, juxta doctrinam Christi *Matth. 19. v. 6. ad Ephes. 5. v. 31.* In unitate ergo hac carnis inducenda, admitti non potest substitutus, quia foret tertia persona, quæ in hac unitate penitus est exclusa.
- 23 Et hæc forsitan pro negativa adduci possent sententia, quibus tamen subscribere vetamur ob rationes, quæ firmiores pro affirmativa faciunt: Consensus enim pure, plene & perfectè interpositus, & verbis vel factis declaratus (sola enim cogitatio & voluntas non efficit matrimonium, etiãmsi uterq; intentionem matrimonialiter conjungi haberet, *Schneidaro: ad pr. J. de nupt. n. 9.*) verum, ratum ac firmum ponit matrimonium, & *consensus non concubitus facit nuptias L. 30. ff. de R. J. L. 30. ff. de sponsal. solus nimirum honos maritalis L. 1. C. de Repudi. solus affectus, Avrb. maximis*
- 24

Maximis C. de Nuptiis Nov. 74. c. 3. affectus alternus Nov. 22. c. 3. veras producit nuptias. Quæcunq; autem consensu fiunt, non tantum per nos, sed & per alios fieri possunt. per §. 1. *J. de Oblig: quæ ex contract.* & obligatio non requirit præcise verba, sed signis & nutu contenta est; Hinc 25
 mutus & surdus contrahere potest sponsalia *cap. cum apud 23. X. d. Sponsal.* ubi ratio additur: *quod solus consensus sufficiat ad matrimonium, mutus vero quod verbis non potest, signis valeat declarare.* Ut sic maxime literæ; quæ signis pressè acceptis & nutu sunt certiores, proficiant ad obligationem validam, nec minus subsistat, quod scripturâ, quam quod vocibus lingua figuratis significatur, *L. 38. de O. & A.* Igitur cum matrimonia, ex nulla ratione, 26
 quæ ostendi possit abunde, exigant verba, pronissimâ se-
 quelâ inferimus contrahi quoque posse per alium, sicuti enim sponsalia iniri possunt per Procuratorem, *L. 4. §. 1. & L. ult. ff. de spons.* ita & matrimonium; ipsum, *L. 5. ff. de R. N. cap. ult. de procurat. in 6to.*

Circa Legem quintam vero insigne oritur dubium; *An 27*
d. ductio in domum necessaria fuerit ad perficiendam essentiam matrimonii, eo, quod Pomponius in dicta Lege neget, quod nuptiæ cum absente muliere celebrari possint, quia nuptiarum solemnitas quæ deductionem præsentis mulieris requirit, cum absente expediri non possit. Verum ne apud Romanos quidem deductionem in domum ad essentiam matrimonii requisitam fuisse constat ex *L. pen: 28*
pr. ff. de donat. inter. V. & U. in qua Lege deductionis nulla habetur ratio, sed soli ritus nuptiarum attenduntur. Præterea cum Lex sequens quod; semper perlegenda sit

B 2

ad

- ad majorem antecedentis enodationem, certè & hic procedit hæc cautela: Lex enim 6, & 7. nullius deductionis mentionem faciunt. Et hanc interpretationem perspicue juvat Ulpianus in *L. 15. ff. de Condit. & Demonstrat.*
- 29 ne vero excipias, hoc tantum in favorem ultimarum voluntatum esse receptum, replico, rationem subjectam esse generalem, quod matrimonium consensus non concubitus faciat, quæ ratio non tantum ad ultimam voluntatem, sed & ad actus inter vivos quadrat. Et sicuti Jure Romano hæc solennitas liberi erat arbitrii, & à voluntate delponsatorum dependebat teste Cajo in *fragmento Inst. Lib. 1. T. 4. §. 1. de Nupt.* nec participabat de essentialibus matrimonii, sed saltem ad nudam festivitatem & solennitatem spectabat, ut eleganter docet Donellus: *Comm. J. C. L. 13. c. 20.* Duarenus ad *Tit. soluto matrim. sub rubr. de spons. c. 2. p. m. 245.* Ita & in copulatione absentis præcisæ necessitatis non est, ut deducatur in domum, sed sufficit solus ad contrahendum matrimonium consensus, qui & per alium declarari potest. *Vid. Cypræus de Jur. Conub. Cap. 9. §. 15.* qui expresse sponsam Principis substituto copulari posse asserit. Beust *de matrim. P. 2. c. 43.* Ziegl. ad Lancell: *L. 2. T. 10. §. 2. seqq.* Illustr. Dn. Stryck. *Diss. de negot. per Interpr. gest. C. 2. n. 68.* Zasius *Conf. 213. seqq. Vol. 3.* Covarruv: *part 2. de matrim. cap. 4. n. 16.* Hilliger. *L. 13. C. 20.*
- 31 Cum autem ad stabiliendam affirmativam sententiam haud parum faciet argumentorum supra pro negativa allatorum remotio, ad singula brevissimis respondendum erit. Ad primum igitur ab observantia deductum, rehero: quod actus, ex libera voluntate gesti non inducant
- 32
- 33

inducant juris necessitatem. Hahn: ad W. de Leg. n. 9. ad
 verb: actuum frequentia. in medio ubi etiã rectè monet, con-
 suetudinem non probari, si actus difformes sive contrarii
 probari possint Brun. ad L. 34. ff. d. i. Vid: Illustr: Dn: Præ-
 fidis Fautoris ac Præceptoris ætatem colendi *Synopsin. ff.*
Tit. de Legibus n. 15. ibiq; not: Quod igitur homines
 ipsi copulationi interfuerint, ex liberrima illorum factum
 est voluntate, Ergo non inducere potest juris necessitatem.
 Præterea multi quoq; actus contrarii reperiuntur, quæ
 infra ulterius deducere constitui. Nec nocet, quod causa
 matrimonii, negotium sit valde arduum, ea propter enim
 Procurator intervenire non prohibetur, sed potius indi-
 catur eo ipso, quod cum hic de majori mandantis agatur
 præjudicio, eo majorem diligentiam adhibere Procuratori
 incumbat, ideoq; specialissimo opus esse mandato. *Cap. ult:*
de Procur. in 6to Schrader: in C. J. Tit: de Nupt: Part: Priori
n. 29. Et passim Doctores.

34

35

36

37

Sic quoq; ordinem in Ecclesia constitutum minime
 turbat, omnes enim solennitates, quæ alias in Ecclesia in
 ipsa Principalis persona constitutæ, in ipso substituto pera-
 gi possunt. Nec minus me movent commoda novorum
 Conjugum, siquidem pro illis militat præsumtio, quod per
 se satis jam sint instructi, quo amore quoque effectu alter
 alterum complecti, suasq; partes explere debeat. Scit
 enim Principalis per se omnia benedictionis verba, quæ à
 Sacerdote proferuntur, igitur quicquid ad substitutum
 dicitur, ad Principalem ipsum dictum videtur. Sileat quoq;
 objectio illa, quod nullus actus personalissimus per Procur-
 ratorem expediri queat, respondeo enim, & personalia per
 alium expediri posse, exemplo Juramenti in alterius ani-

B 3

mam

mam, quod clarissimis verbis fieri posse attestatur Lyncker,
in Dissertatione, de Juramento Mandatarii in alterius animam,
 & qvanquam Oldekop. *in alia Dissertatione de jurejur. in*
alter; anim; Juramenta in animam Principalis omni jure
illicita statuat, refutavit tamen eundem Feldman; in Tr;
de promot; absent; vid; Lyncker; d. Diss. C. 3. in fin. Imo
 per mandatarium feudum acquiri & renovari ac per con-
 sequens juramentum fidelitatis præstari posse, indubitati-
 jam tum juris est ex 2. F 3. §. sed utrum. Cap. 1. §. Verum.
 de Statu regular; in 6to Zœf; ad d. Tit. n. 14. Mylerus de
 Princip. & Statibus Imperij P. 2. C. 92. §. 5. Schwed. introd.
 ad Jus Pubh. Part. spec. Sect. 1. C. 9. §. 8. Nec quicquam
 38 faciunt ad rem adducta antea Exempla, in quibus sub-
 stitutus s. Procurator non admittitur, nec trahi possunt ad
 casum propositum, ubi multæ in contrarium extant Le-
 ges pariter & Doctores, qui absentis Procuratorem in
 actu copulationis admittunt. vid. n. præced: 19. Præte-
 rea quæ dicta sunt de corporali præsentia minimè proce-
 39 dunt; Quoties enim præsentia desideratur, toties non exclu-
 ditur Procurator, quia & is præsens dicitur, qui per Procu-
 ratorem agit L. 39. Ex quib; caus; major; Vid. Dni Præsidis Sy-
 nops; ff. d. T. n. 4. & contrahentes, dicuntur præsentis, quan-
 do pro ipsis acceptant nuncii vel substituti confessionem,
 Mascard; de probati L. 1. Concl; 394. n. 3. L. 25. ff. de A. R. D.
 40 Et quando dicebatur, quod id, quod pro forma requiri-
 tur non possit adimpleri per æquipollens, nego quam
 maximè, quod pro forma requiratur utriusq; præsentia
 41 corporalis. Ultimo destruendum adhuc erit argumen-
 tum ab unitate carnis deductum, rehero enim, quod con-
 sentus

sensus declarari possit per alium, non vero concubitus, consensus autem per substitutum datus, à principali datus censetur, & sic principalis fit una caro.

Cum vero Exempla regulam aperiant & declarent 42

L. 3. §. 2. ff. de Collat: ibi: quod dico Exemplo, ut fiat manifestius; Optimumq; dicendi genus sit rem exemplis illustrare Matth: de afflictis in prælud: Const: Neapol. qu. 12. n. 12. dictis fidem conciliabimus Exemplis. Exemplo itaq; nobis sit

Maximilianus, qui Annam Britanniae Ducis filiam per Procuratorem Wolfgangum Polyæmum Austriae Baronem, sibi copulari iussit, uti ex Polydoro refert Cypræus

Cap. 9. §. 15. Cominæus Lib. 2. in fin. Crantzii Saxonia Lib. 13. C. 15. n. 16. seqq. Ziegler. im Historischen Labyrinth der Zeit pag 33. seqq. Simile matrimonium inter Clivensium Ducem

Johannem, Henrici Regis Navarrorum & Margarethæ Vallesiae Reginae Navarrae reginaeque sororis filiam contractum esse testatur Cypræus de 3. Com. d. c. 9. §. 15. Sic ex Grammondi

historia Gallica Lib. 13. in fin. p. m. 621. constat, Ducem Caprusium è gente Lotharingica Principem Angliæ Regis Procuratorem, Henricæam Regis Galliae sororem exeqvendo matrimonio petiisse & obtinuisse; Caprusio enim Rex Gastoq; trater sororem mancipant, & ille venerationem inter & Majestatem, qualia decebant re ipsa subditum representatione Regem carum accipit pignus, dextramq; implicat dextræ.

Et quid Veterum annalia altius repeto, cum & nostra secula morem hunc non improbaverint. Enimvero postquam anno 1659. consilio & industria Cardinalis Mazzarini Gallis pariter & Hispanis pax reddebatur exoptatissima, tum demum beatam fore suam Kempubl: augurabatur

rabatur Florentissimus Galliaë Rex Ludovicus XIV. si de Cõjuge sibi prospiceret, & conjugio quodam initam pacem confirmaret. Eligebatur igitur Maria Theresia Regis Hispaniaë Philippi IV. filia, & anno sequenti 1660. pactis feliciter sponsalibus per Legatos in fonte rapido, vulgo Fuentarabia nuptiaë contrahebantur, ex quo matrimonio hodie deducitur amplissima prætenso Domus Bourbonensis in omnia regna Hispanica, quod obiter notandum venit. Et quis tam alienus ab historia, quem fugiat, quantâ pompa quantisque solennitatibus Sacratissimi quondam Imperatoris nostri LEOPOLDI nuptiaë Imperiales cum Margaretha Theresia Regis Hispaniaë filia anno 1666. peracta fuerint. Miserat enim invictissimus ille pariter & Gloriosissimus Imperator Leopoldus, Ducem de Medina de la Torres in Hispaniam, qui loco ipsius Augustam, tunc temporis sponsam d. 17. April. prædicti anni, sibi copulatam, Viennam transduxit. Vid. Freitich; *Traët. de Augusta in su. p. 79. Diar. Europ. Contin. 14. p. 183.* Simile Exemplum anno 1673. in Italia contigit; Cum enim Dux Eboracensis Mariam Beatricem Eleonoram Alphonfi II. Ducis de Modena & Principis de Corregio filiam, quam ex Laura Martinozzia Cardinalis Mazarini nepte (quæ postea Regina Angliaë facta, radiis mariti Jacobi, sed infelix cum suppositio suo Principe de Wallis, ut vulgo creditur, fuga sibi consulere, & in Gallia hætenus vitam degere necessum habuit) suscepit, sibi in futuram despondisset Uxorem, Legatum Italiam mittebat splendidissimum Comitem de Peterborough, qui die 15. Sept. prædicti anni Mariam Beatricem Eleonoram, nomine Principalis sibi copulari curabat. Vid. *das Leben der Königin von Engeland pag. 13*
 Nostrø

Nostro seculo notabilis est ritus Gloriosissimi & In-
 vicissimi Imperatoris JOSEPHI quiduabus vicibus sub-
 stituti personam sustinuit; In nuptiis Regis Hispaniæ
 Caroli III. & in nuptiis recentissimis Regis Portugalliæ,
 prouti relationes nostræ hebdomales testantur, & quidem 49
 hisce verbis: Anno 1708. d. 30. April. umb 10. Uhr ist die
 Spanische Braut in der Kirchen zu Maria Hising un-
 ter Kloster Neuburg gehörig S. Käyserl. Maytt. Maha-
 mens vero Herrn Bruders Ihr. Königl. Maytt. Car. III.
 von Ihr. Hochfürstl. Eminenz den Cardinal von Sach-
 sen Zeit anvertrauet worden. Wobey das Te DEUM Lau-
 damus unter Trompeten und Paucken Schall/ auch drey
 mahliger Lösung der vor der Kirchen gesangenen Stücken
 und eben so vielmahl Salve der vor selbigen Kirche stehen-
 den Stadt Garde/ gesungen. Und darauff nach
 empfangenen Glück wünschungen Ihr. Königl. Maytt.
 die Königin in dero Wagen/ nebst der Fürstin von Lich-
 tenstein/ in Begleitung Ihr: Hochfürstl. Durchl: des
 Bischoffe von Osnabrück/ nach Haiddersdorff/ beyde
 Regier. Käyserl. Maytt. aber nach Schönbrunn gefahren
 und ihre Majestät die Wittibete Käyserin/ samt den
 Durchl. Erzhersoginnen in die Käyserl. Burg revertiret.

Am 9. Jul. 1708. Abends zwischen 7. und 8. Uhr in
 der Kloster Kirche/ zu Kloster Neuburg sind die Vermäh-
 lung Ceremonien zwischen Ihro Königl: Majest. von
 Portugal Johanne V. und der Durchl. Erzhersogin Maria
 Anna vollenzogen worden/wobey Ihr: Käyserl: Maytt;
 die Stelle des Königs vertreten

Imo felicem quoque adhuc diem illum prædicat Terra
 Meclenb. qvo divina illa Dux Meclenb. SOPHIA LOVISA

C

per

per substitutum FRIDERICUM WILHELMUM Ducem ac Nutritium nostrum longe clementissimum, Potentissimo Regi Borussiae FRIDERICO copulabatur. Cum enim anno præcedenti Potentissimus ille Rex in propria persona Sverinum erat profectus, facillime animadvertit, quam divinis animi ac fortunæ donis Serenissima Princeps instructa esset, minime igitur dubitavit, quin eam, in regni sociam indissolubilem ambiret, & velut sol stellam illam Venerem SOPHIAM LOVISAM in uno thalamo sibi conjungeret. Pactis igitur feliciter sponsalibus, Rex FRIDERICUS Berolinum revertebatur, & non multo post, Illustrissimum Comitem de Witchenstein, expresso mandato instructum, ad sedem Principum Sverinum mittebat, ut Serenissimo Duci FRIDERICO WILHELMO Nutritio nostro longe clementissimo mentem Regis de copulanda sibi, per eum, conjuge, exponeret. Legatus ubi Sverinum venit, mox Sophiam illam Lovisam, verè Sophiam, in Societatem omnium regnorum Dominiorumq; Regis FRIDERICI, quæ ipse jam possideret, & ei postea obventura sint, vocavit, hancq; vocationem per Ducem nostrum clementissimum accedente benedictione Sacerdotali, confirmari curavit. Hoc factò Berolinum transducta, omnique, quo fieri potuit, regio cultu quam splendidissime excepta est. O Augustissima igitur Borussia mater quæ serenissimi ac potentissimi Regis, latus cingis, cujus Famam Europa colit, cujus consilia sapientes admirantur, cujus amicitiam potentes expetunt, cujusq; pietatem & justitiam pauci æquant, omnes venerantur. Deus, qui cuncta videt & gubernat felicissimum hocce matrimonium indissolubili firmet nexu, Regem Regiamq;

namq̄ servet incolumes, & longævam utrisq; jucundam
que vitam largiatur.

Sed cum in antecedentibus Illustrium 50
salcem personarum Exempla adduxerim, dubium
alicui videri posset: *An & privatus per substitutum
matrimonium rectè contrahat?* Privatus enim illustri
opponitur. L. 32. §. 5. C. de Appellat. Et quidem primo 51
intuitu respondendum videtur negando, quia singularia
non sunt extendenda, sed restringenda, & quia multa
conceduntur Principibus & Illustribus personis, quæ
aliis denegantur. per Cap: de multa 28 X. de præbend. Cap.
quia vericulum. 4. de Sent: Excomm. in 6to Hemming. de Con.
jugio fol. 87. Sic privati nuptias ad Morganaticam contra. 52
here nequeunt, nisi specialiter iis concessum, quale Exem-
plum Nobilis indultu Serenissimi & Potentissimi Electo-
ris Brandenburgici plebejam ducentis ad FCtatem Via-
drinam transmissum refert Stryck. ad Brunn; J. E. L. 2. c.
16. §. 6. in addit. p. m. 588. verb. ad sinistram manum. Atq̄ huic
juri accuratè respondet Edictum Serenissimi & Potentis-
simi Electoris Brandenburgici FRIDERICI III. nunc Re-
gis Borussiae, qui nuptiis inter Nobilem & plebejam initis
prohibuit addi pactum ad Morganaticam, in der renovir-
ten Constitution von Verlobnissen und Ehesachen. § 13.
his verbis: Nachdem auch zwischen Adel und Bürger-
Standes Persohnen die Verlobung zuweilen sub pacto
Morganatico abgehandelt wird/ so soll dasselbe hinfübro
nicht verstattet noch zugelassen seyn. Simili modo pri- 53
vatorum nuptiæ regulariter absque proclamatione publi-
ca ex suggestu, celebrari non possunt, quod secus in
Illustribus personis, quia horum nuptiæ vix clam possunt
peragi; Proclamatio autem eo sine instituitur, ut nuptiæ
C. delpon-

desponsatorum propediem contrahendæ, in notitiam hominum facilius perveniant. Quamquam & hoc casu, Princeps quam facillime dispensare possit.

- 54 Interim tamen contrariam sententiam veriorum iudico, quod nempe privati etiam per substitutum matrimonia contrahere possint: Quicquid enim in rebus, quæ sunt de genere permissorum, non expressè prohibitum, illud omni jure censetur permissum. *arg. L. 43. §. 1. ff. de Procurat. junct L. 13. ff. de Testibus Anton; Faber: in Cod. Lib. 4. T. 14. d. 24. n. 2.*
- 55 Sic sororem privignam aliamve consanguinei affinem in uxorem ducere licet, quia hæ nuptiæ nullibi prohibitæ. Vid. *Carpzov, Jpr. Consist. L. 2. T. 6. def. 104. n. 8.* Præterea generaliter & Jure Civili & Jure Canonico permissum Uxorem ducere per substitutam personam *L. 5. ff. de R. N., Cap. ult. de Procurat. in 610.* Quicquid vero generaliter permissum, id minus recte ad illustres saltem personas restringitur, maximè in materia favorabili, qualis est Uxorem ducere; Et licet fatear, graviore causas esse posse, quod Principes substitutum adhibeant, minus tamen rectè inde inferitur, quod privatus planè admitti non possit, ut per substitutum Uxorem ducat.

CAP. II.

CAP. II.

DE

REQUISITIS MATRIMONII IN PERSONAM PRINCIPALIS CONTRACTI SUMMARIA,

R Equiritur ut habeat mandatum. n. 1.	Ejus decisio. n. 18.
Allegatio mandati non sufficit n. 2.	Alius casus proponitur. n. 19.
Nec productio mandati gene- ralis. n. 4.	Ejus decisio. n. 20.
Sed requiritur speciale. n. 5. seqq.	An post copulationem conscen- sio thalami à Procuratore quoque peragenda sit n. 21.
Nec sufficit charta blanca n. 9.	De jure Sax. necessaria. n. 22.
An legi debeat mandatum ante copulationem. n. 12.	Aliud dicendum extra Sax: n. 24.
Substitutus omnia agat juxta prescriptam formam. n. 14.	Quid in nuptiis Maximiliani factum n. 26.
An Sacerdoti indicandum se esse Procuratorem. n. 16.	Quid in Nuptiis Johannis Henrici cum Margaretha Valesia n. 27.
Casus ex Harsdörffero propo- nitur. n. 17.	An Procurator nudus an vesti- tus thalamum conscendere debeat. n. 29. seqq.

Pertractatis huc usq; generalioribus sequuntur jam specialiora, ubi primo requiritur, ut substitutus mandato instructus sit; Omnium quippe qui mittunt vel admittunt, aut aliena negotia administrant, interest, mandata ipsamq; negotiationem instructione

- Etione muniri, velut præcepto quodam ac vinculo, quod
 2 utrumq; obliget, si semel probetur. Hinc non sufficit, si
 mandatarius dicat, se ex ore Principis mandatum accep-
 pisse, daß er sich auff mündlichen Befehl beziehe *L. 1. C. de*
Mandat. Princip. ibiq; Gothotr. in not. lu. : 7. Sed cum man-
 3 datum facti sit, erit probandum. Idemq; obtinere arbi-
 tror, si mandatum quidem allegaverit, verum se exculat,
 quod illud offerre non possit, quoties enim quis se fundat
 in mandato Principis, toties illud in originali producen-
 4 dum. *d. l. De eo autem gravis est controversia, an manda-*
tum generale sufficiens sit ad matrimonium nomine alterius
consummandum? Quod negamus per Cap. fin. de Procurat.
 5 *in 6to* Requiritur enim speciale *Schrader in Comm. 7. Tit.*
de Nupt. part. prior. n. 49. & passim Doctores, & quidem tale,
 in quo simul certa persona expressa *L. 34. ff. de Rit. Nupt.*
 6 *Ziegl. ad Lancellor. de Spons. §. 3. Setfer. de Jurejur. Lib. 1.*
Cap. 14. n. 13. Nihil enim hic temerè & inconsulto agen-
 dum; cum eam, quam semel accepimus thori sociam;
 pro nostro iterum dimittere non possimus arbitrio; Sunt
 enim nuptiæ unius maris & unius tæminæ conjunctio,
 7 individuum vitæ consuetudinem continens. Quamvis
 vero *Carpz. Proc. T. 5. art. 1. n. 83.* utile dicat, si mandato ge-
 nerali clausula adjiciatur; **Solte auch mein Anwalt**
eine mehrere Gewalt von nöhten haben/als hierin begrif-
fen/so soll ihm solches alles dergestalt zu verrichten Krafft
dieses freygelassen seyn/ als wenn er darüber in specie &
 8 **cum libera bevollmächtiget wäre.** Sed clausula hæc in
 illis punctis, quæ ex sua natura mandatum speciale exi-
 gunt, non est sufficiens, cum tali casu verba generalia
 nunquam sufficiant. *Illustr. Dn. Stryk. in C. G. Sect. 1. Cit.*

§ 3. Porro de charta blanca à Domino subscripta & subfi- 9
gnata notandum, quod sicuti hæc loco mandati, ad alia ne-
gotia expedienda non semper sufficiat, multo minus suffici-
ens sit ad consummandum matrimonium ejus, qui chartam
blancam dedit. *Berlich; P. II. Concl. 14. n. 91. Carpz. T. 5. art.*
I. n. 110. Præterea ex charta blanca non satis constat de 10
voluntate Principalis, an hic velit, ut matrimonium per
mandatarium cum hac personâ contrahatur. In dubio vero
id solum concessum censetur, quod generaliter accom- 11
muniter concedi solet, non vero id, quod specialem ali-
quam concessionem requirit, uti hoc matrimonium.
Cap. fin. de procur. in oto. Si igitur mandatarium sufficienti
mandato instructus compareat quæritur: *An legi debeat* 12
mandatum ante copulationem? Et quidem communiter
hodie id fieri, testis est Augustissima illa copulatio Potentis-
simi Regis Borussiae Mandatum enim, quod illustris-
simus Comes de *Witthenstein* attulerat, ab Illustri Consiliario
Regiminis de *Wolffraht* publicè prælectum, antequam
Serenissimus Dux FRIDERICUS WILHELMUS Nu- 13
tritus noster longè clementissimus, Sororem Germanam
Regis Borussiae nomine, sibi copulari permisit. Interim ta-
men præcisæ necessitatis non esse judico, si modo certò
constet de expresso Procuratoris mandato. Et cum alias
commune sit mandatarium omnibus, ut mandatum exactè
observent. *L. ff. Mandati. L. 41. L. 46. ff. Eod.* Certe & hic 14
accurata ejus observantia requiritur; Quoties enim
certum est mandatum, toties recedi à forma non debet,
sunt verba *L. si quis. 46. ff. Mandat*: Quoties vero certa
non est præscripta forma, toties arbitrio mandatarium ali-
quid relictum videtur, *d. L. ibiq; Dd.* Et sic sufficere 15
credo

- credo, si in mandato generaliter extet, quod nomine mandantis Mandatario copulari debeat sponfa, sic enim mandatarius omnia agere potest in copulatione, quæ alias peragi solent. *Sed quid si mandatarius nec sacerdoti, nec ulli alii adstantium indicet, se esse Procuratorem, sed simulet se Principalem, an tunc matrimonium subsistere, an vero copulatio pro nulla declarari debeat?* Catum hunc proponit
- 16 *Harsdörffer in seinem Lust und Lehrreichen Geschichten hist. 93. §. 6. & 10.* Pater scilicet quidam dives permittere noluit, ut filius duceret virginem venustam sed pauperem; filius ergo famulo mandatum dedit sub sua manu & sigillo, ut duceret hanc Virginem pauperem nomine mandantis, simularet tamen, ac li nomine proprio duceret, quod etiam factum: Cum vero res in notitiam Patris pervenit, famulus hic carceri inclusus & de falso accusatus fuit Vid: *Harsdörffer d. l. verb. Vorhabens ihn als einen falschen Lügner/und Kirchenräuber/der die Ehe dem Priester abgestohlen/ zu züchtigen.* Mandans vero eam obtinuit uxorem. Mihi tamen dicendum videtur, tam insignem fraudem copulationem nullam reddere, nisi dixeris, sufficere, quod & mandatarius & foemina copulanda sciverint, matrimonium hoc contrahi mandatarii nomine.
- 17 Simile aliquando audivi Exemplum, quod frater convenerit cum Sponfa fratris, quod ad fratrem Sacerdotem dicere velin ut periculum faceret, an rite copulare possit duos desponsatos: Frater sacerdos, se tale quid accurate peracturum, asserit, fratremq; & sponfam copulat. Hi actum intellexerunt serio, Frater Sacerdos vero joci tantum causa geri credidit, quæritur igitur: *An tale matrimonium pro perfecto ac legitimo haberi possit*
- 18
19
20
21

possit ? Ego certè talem benedictionem nullius efficaciam 20
esse dixerim, quia Sacerdos dolo inductus ad benedictionem
peragendam, Ex dolo vero nemo sentire debet
commodum.

Et hæc de mandato, ejusque accessoriis dicta sufficiant, 21
quæritur autem porro: *An post copulationem conscensio*

thalami à Procuratore quoque peragenda sit ? Et si casum
hunc secundum jus Saxonicum decidere velimus, requi- 22
situm erit necessarium; Etenim de jure Saxonico, ad

plenarium nuptiarum effectum, cumprimisque ad lu-
crandum ea, quæ de jure municipali nuptiis, & ex
earum perfecto contractu mutuo sibi invicem sunt con-
cessa, maximè desideratur, ut novi conjuges thorum
sive lectum conjugalem fuerint ingressi. *Es sey denn daß*

Es daß Ehebette beschritten / Hanc enim thori conscen- 23
sionem pro lucris nuptialibus capiendis mores Saxonici
singulatim & stricte requirunt vid. *Landrecht, Lib. 1. art. 45.*

& Lib. 3. art. 45. Struv. Synt. Jur. Civ. Exercit. 38. tb. 40. Verum 24
unusquisque facile videt, extra Saxoniam hæc abundan-
tia esse, unde in quo loco illa conscensio speciatim non

exigitur, mox post benedictionem sacerdotalem jus
succedendi indulgendum. Stryck. S. A. I. *Diff. 4. Cap. 3.*

§. 7. Interim notandum, quod etiam extra Saxoniam 25
multis in locis, majoris cautelæ causa mores hos Saxoni-
cos receperint; Sic enim in nuptiis Maximiliani Pro-
curator Wolffgangus Poliamus alterum crus genutenus

inter stragula injecit, matronis multis & principibus ad- 26
stantibus, ut ex Polydoro refert Cypræus *cap. 9. §. 16.* vel

ut alii malunt, nudam in thorali lecto, attigit præsentibus
Nobilibus, ut ex Pentaleonis Profopographia Her; Germ.
refert

- 27 refert Stryck : de Jur. Præsentia C. 2. n. 48. Sic quoque imaginario concubitu Johannis Henrici Regis Navarrorum & Margarethæ Valensia Reginae nuptia contracta sunt, & certè nullo alio fine, quam ut si sponsa in itinere, wenn die Heimführung geschieht. Vid. Rennem: in Jur. Rom. Germ. de Jur. pers. c. 5. §. 15. Wehner. in Observ. præct: sub voce Heimführung facta fungatur, successio in
- 28 dubium vocari non possit. At cum nec de Jure Civili nec de Jure Canonico expresse consensio desideretur, extra Saxoniam mox post benedictionem Sacerdotalem recens copulatis non denegandam esse Successionem judico, adhibitis enim sacris ceremoniis & solennitatibus legitima censerit voluit conjugia Leo Imperator in Nov. 89. In illis vero locis, in quibus consensio thalami desideratur, porro quæritur : *An nudi an vestiti thalamum conscendere debeant Procuratores?* Cypræum si consulimus, Procuratorem Principalem personam repræsentantem thorum conjugalem imaginarium cataphractum ingredi debere existimat. Cap. 9. §. 15. quod & confirmant Michael Sachsen in der Neuen Kaiser Chronica in vita Maximiliani C. 3. p. m. 249: & Du: Blas in Diss. Inaugural. de Jure Vid. Sax. c. 1. §. 7. dicentes, quod Procurator Maximiliani
- 30 loricatus fuerit & armatus. In quibusdam vero locis unicus denudatur pes, in quibusdam nuda attingitur sponsa. vid. Cypræus C. 9. §. 15. vid. n. anteced: 17. Cum igitur certum sit, plerisque in locis hujus actus solennitates variare; Ita consuetudo locorum & instructio Principalis probè respiciendæ sunt, ne mandatarius vel excessu peccet vel defectu, & loco speratæ gratiæ poenâ afficiatur.

(27)
CAP. III.

DE
**EFFECTU MATRIMONII PER
SUBSTITUTUM CONTRACTI.
SUMMARIA.**

- A**N per substitutum copu-
lata revera sit Uxor. n. 2.
Respondetur ad rationes du-
bitandi. n. 38. seqq.
Affirmatur. n. 3. seqq.
Lucrum dotis Marito per sub-
stitutum matrimonium con-
An copula carnalis de Jure
Saxonico expresse desidere-
tur. n. 7.
trahente deberi, porro de-
claratur, ut si momentum
post copulam vixerit Uxor
Doctores affirmantes. n. 8.
n. 49.
Negatur. n. 9. seqq.
An ejusmodi per substitutum
An Per substitutum copulata
copulata valide donari pos-
omni honore mariti gaudeat.
sit n. 52.
n. 11.
Negatur n. 53. seqq.
Affirmatur. n. 12. seqq.
Excipitur donatio Morgenga-
Quid in Successione obtineat.
bica. n. 55.
n. 19. seqq.
An valeat donatio Morgenga-
An Eex vel statutum lucrum
bica si nondum accesserit
dotis aut donationis propter
conubitus n. 56.
nuptias alterutri Conju-
Negatur. n. 57.
gum attribuens, etiam ubi
Affirmatur n. 58. seqq.
nondum accessit copula, &
Concubitus nil facit ad essen-
sic in illis per substitutum
tiam matrimonii n. 59.
copulatis locum habeat. n. 21.
Probatur Exemplis n. 60. seqq.
Rationes dubitandi. n. 22. seqq.
An Legatus si adulterata Le-
gatione sponsam carnali-
Rationes decidendi. n. 28. seqq.
ter

<i>ter cognoverit pro adultero habendus sit</i>	<i>n. 64.</i>	<i>Ejus Exemplum.</i>	<i>n. 71.</i>
<i>Ratio pro negativa</i>	<i>n. 65.</i>	<i>Insignis solertia Exemplum in Aureliano Clodoveo Francorum Regis Legato</i>	<i>n. 73.</i>
<i>Respondetur ad eandem.</i>	<i>n. 66.</i>	<i>An Papa dispensare possit, ut per substitutum copulata alii nubat.</i>	<i>n. 75.</i>
<i>Alia ratio</i>	<i>n. 67.</i>	<i>Exemplum ejus in nuptiis Maximiliani</i>	<i>n. 76.</i>
<i>Respondetur ad eam.</i>	<i>n. 68.</i>	<i>Negatur.</i>	<i>n. 79.</i>
<i>An Legatus poena capitis an vero fustigationis afficiendus sit, si Uxorem carnaliter cognoscat.</i>	<i>n. 69.</i>	<i>An post copulationem per substitutum factam Maritus perire possit ut Uxor inspectionem admittat.</i>	<i>n. 81.</i>
<i>Quid obtineat, si Legatus eam in matrimonium ducat, ad quam Regi suo despondendam & ducendam missus erat.</i>	<i>n. 70.</i>	<i>Affirmatur.</i>	<i>n. 82. seqq.</i>

- I** Perpenſis requiſitis ante, in- & poſt copulationem neceſſariis, reſtant quoque examinandi effectus, quò nempe jure tales per ſubſtitutum copulati gaudeant, ubi vero ad faciliorem eorundem intellectum perquirendum erit ante omnia: *An per ſubſtitutum copulata re vera ſit Uxor?* quod ex rationibus ſat prægnantibus affirmandum mihi videtur. Enimvero non tantum in conſpectu Sacerdotis & multorum teſtium conſenſum maritalem declarat, ſed & in facie Eccleſiæ per Sacerdotem publicè ac ſolemniter copulatur & traditur, omnibus ſcilicet præſentibus veri matrimonii requiſitis. Arniſaus: *de J. Connub. Cap. 3. Sect. 12. n. 1.* Beuſt. *de Matrim. P. 2.*
- 4** *in Praſat.* Imo ſi Doctores ſtatuunt, ſponſam verbis de

de præfenti desponsatam haberi pro uxore, quia quod de proximo futurum est pro facto habetur. *L. pen. ff. de milit. Testam.* & quod pro cincto habeatur, qui proxime cingendus est. Baldus ad *d. L. pen.* Multo magis illa, quæ actu jam copulata, habetur pro Uxore; Et hancce thefin perspicuis verbis confirmat *L. 15. ff. de condit. & Demonst.* in qua asseritur: quod sponsa statim atque ducta, Uxor sit, quamvis nondum in cubiculum Mariti venerit. Imo Cinna scribit in *L. 6. ff. de R. N. quod Uxor Maritum omnino lugere debeat, si absens eam duxerit, & antequam ad eam venerit, perierit.* Uxor igitur est, & privilegia Uxoris obtinet, quæ per Mariti consensum, interveniente Sacerdotali benedictione, Marito juncta, quamvis copula carnalis nondum accesserit, hæc enim ne quidem de Jure Saxonico desideratur, ut ut ibi consensio thalami necessaria vid. Carpz. *P. 3. C. 19. d. 4.* Et quamvis Cothman. *Vol. 7. 2. Conj. 78. n. 98. Schneidw. §. 29. J. de act. n. 109. vers. conjunctione carnali consummatum. & ad Tit. J. de nupt. p. 10. n. 15.* reale concubitus necessarium putent, ac si ex commixtione corporum commixtæ demum opes nascantur. Harum tamen sententiæ assentiri nefas puto, svadet enim pudicitia ratio, ne curiosè inquiramus, quid inter solum & solam actum fuerit, præsumunt enim omnia solemniter acta fuisse. Plura interim cupidus Lector inveniet apud Möller. *ad Const. Elect. P. 3. c. 19. n. 9. item Carpz. ad d. Const. Penfol. ad Coler. Decif. 286. n. 237.*

Et sicuti re vera Uxor dicenda est, ita etiam statim post benedictionem Sacerdotalem & privilegio & honore Mariti gaudet. Mey. *ad Jus Lub. P. 1. T. 2. art. 12. n. 164. Carpz.*

- II *L. 5. T. 10. Resp. 108. n. 19.* Sponsa enim Principis si sit Comitissa postquam accessit Hierologia, statim Principissa dicitur, testante *Franciscod. Amaja ad L. fin. C. de incolis Lib.*
- 12 *10. n. 5.* qui de hac dignitatis maritalis communicatione elegantissime scripsit. Et cum Maritus sit caput Uxor, provenit inde, ut sicuti caput influit in cœtera membra, ita etiam oportet à Marito tanquam à capite in sua membra derivari qualitates illas honorificas vel viles. Neque illa Juris Romani sententia Uxorem mariti radiis corruscare, mera civili nititur ratione, imo & naturali fundata in arctissimo societatis conjugalis fœdere. Unde
- 13 in literis Sacratissimi Imperatoris Cæsareæ Majestati per transmissum substitutum oblati, Augustam Titulo: *Der Allerhöchsten Princeffin auff Erden* honoratam esse testatur *Fritsch. Tract. de Augusta C. 3. n. 8.* Idq̄ quoniam
- 14 Imperator Romanus Majestatico dignitatis splendore, omnes anteir Reges & Principes, ita Serenissima & Venerabilis Augusta §. *ult. f. de Usucap.* omnium Regum ac Principum Uxores honoris ac dignitatis lumine superat,
- 15 Non solum autem Augusta, hoc est Imperatoris Uxor, sed etiam Principum, Comitum, & perpetua dignitate regali, una cum territoriali Jurisdictione investitorum Uxores eadem privilegia ratione dignitatis illustris habent Myler. ab Ehrenbach. *Gamol. pers. illustr. Cap. 7. th. 6.*
- 16 Si enim privatae Mulieres honore maritorum fulgent & illustrantur *L. Fœmina §. ff. de Senatoribus L. Mulieres 13. C. de dignit.* Multo magis persona illustris Mariti fulgore splendere ejusq̄ dignitate erigi & corruscare debet, ejusq̄ privilegii uti frui convenit, quatenus personæ qualitas hoc permittit,

permittit. Faber. *ad L. 30. n. 13. ff. de Legibus. per L. 1. C. de in
jus vocand.* Sic quoq; Princeps nostra longe clementiffi. 18
ma, nunc Mater Boruffiæ Auguftiffima, quam primum
Potentiffimo Friderico Regi Boruffiæ desponsata erat,
dignitatem Reginae confecuta, ac Titulo Sr. Majæftatis
falutata est. arg. *Nov. 105. c. 2. L. fin. C. de Incolis.* inluperq;
omni regio cultu, omniq; qvâ fieri potuit, & qvæ tantæ
Majæftati par erat, reverentiâ affecta est.

Nunc ad Succelfionem progredior, & non ea, 19
qvæ in desponsatis, fed qvæ in reverâ conjugatis locum
habent, obtinere arbitror, prout ftatutis localibus vel con-
fuetudine illud receptum; Habent enim hæc vim Legis,
adeoq; ut Lex Legi, fic ftatutum ftatuto & legi derogat.
*L. 9. de Just. & J. L. 32. ff. d. Legibus. Bart. in L. 8. C. de divers.
offic: Carpz. Dec. 65. n. 2.* Præprimis vero pactorum, fi 20
confecta fuerint, dotalium habenda est ratio. *L. 1. C. de pact.
convent. tam fupr. dot; Gail. Lib. 2. O. 80. n. 15. Carpz. D.
163. n. 4.* provifio quippe hominis tollit provifionem
Legis. arg. *L. 5. §. 14. ff. Commod. Gail; Lib. 2. Obs. 42. n. 6.*
Sed dubium hic est, an Lex vel ftatutum lucrum dotis aut do. 21
nationis propter nuptias alterutri Conjugum attribuens, etiam
ubi nondum accessit copula carnalis, & fic in illis per substitui-
rum copulatis locum habeat? Non inelegantes pro utraq;
fententia militant rationes; Pro negativa enim facit, 22
qvod finis dotationis in hujusmodi matrimoniis celfet,
qvi in eo confiftit, ut habeat Maritus, unde fufstineat onera
matrimonii *L. 20. C. de Jure dot. L. 21. §. 1. C. de donat. int. Vir: &
uxorem.* Cum vero ante deductionem in domû, & copulam
nulla onera marito incumbant, ante eam nec fructus dotis,
multo

- multo minus dotem ipsam ad se pertinere dicere potest, Gail; *Lib. 2. O. 80. n. 1.* Hinc æquum censetur, eum commodi esse exsortem, qui incommodi haud est consors, arg. *pr. f. de legis; Patron; Tut; L. 22. §. 3. C. de Furt. Roland. 2.*
- 23 Valle *de dote. qv. 64. n. 43.* Pro negativa stat porro, quod dos sub conditione promissa censeatur, si ducatur in domum, & sequatur copula! arg. *L. 21. L. 37. L. 41. pr. ff. de jure dot.:* Unde cum non impleta fuerit conditio, cessare quoq; debet dotis acquisitio, quod & affirmare videtur
- 24 Imperator in *L. 24. C. de Nupt.* Accedit hisce, quod statutum dotem marito attribuens sit correctorium Juris communis, quod vel ad Patrem; vel ad alium dotem sibi reddi stipulantem, vel ad hæredes Uxoris reverti vult, adeoq; merito; ceu alias in correctoriis fieri sœvit, strictissimam amplectendam esse interpretationem *L. un. C. de inoff. dot.:* Jam vero Jure communi lucrum dotis conceditur nullum ejusmodi per substitutum copulatis, Ergo multo minus vi statuti, non specialiter hujus casus mentionem facientis petere quicquam valet superstes ille
- 26 per Legatum Uxori conjunctus. Ultimo loco omne statutum de dote lucranda, post mortem Conjugis extans, sub conditione loqui censetur, si scilicet sine liberis præmoriatur altera pars, sine liberis autem præmori prædicari vix poterit de iis, qui concubitum nondum celebrarunt, ideoq; tales hic intelliguntur Conjuges, qui sunt in eo statu, eamque habent potentiam, ut liberos habere possent, quod secus est in nostris per substitutum copulatis.
- 27 Imo statuta viduis & Uxoribus successionem concedunt, verum talis fœmina per substitutum ducta, re vera virgo est, E, privilegio Uxoribus gaudere non possit.

Et

Et hæc forsan in castra negantium aliquem pertra-
 here possent, verum cum contraria sententia mihi vide-
 atur probabilior, his æq; ac iis, qui deducti olim, hodie
 copulati & benedictione Sacerdotali conjuncti, imo quasi
 concubitu fidem matrimonialem obfignarunt, lucrum
 dotis competere cenfeo; obtinet enim & hic decantata
 illa Juris regula, quod consensus sive per se, sive per alium
 interpositus, verum faciat matrimonium. *L. 66. de Donat.*
int. Vir. & Ux. L. 22. C. de Nupt. Et rectè ait *Socius Conf. 8.*
n. 14. Matrimonium consistere in solo consensu matrimoniali,
 nec requirere ad sui perfectionem copulam carnalem.

Præterea ratio constituendæ & lucrandæ (quæ
 maximè in eo consistit, ut homines ad contrahendum
 matrimonium alliciantur, vir sc; ut incitetur ad Uxo-
 rem ducendam, mulier, ut eò citius inveniret maritum
L. 19. ff. de R. N.) jam in copulatis nostris adest, adeoq; &
 dispositio ista obtinere meritò debet *arg. L. 12. junctâ L. 24.*
ff. de Legibus. L. 32. ad L. Aquil.

Clarius hanc affirmativam probat sententiam. *L. 15. ff.*
de condit. & demonst. ubi sub hac conditione legatum, si in fa-
 milia nupsisset, videtur, inquit Ulpianus, impleta conditio
 statim atq; ducta est Uxor, quamvis nondum in cubiculum
 Mariti venerit, hæc q; ductio explicatur, scilicet pro im-
 pleta haberi conditionem, quam primum consensus in-
 ter venerit, dum ita subjicitur: *Nuptias enim non concubitus*
sed consensus facit. Et sic ex consuetudine Parisiensi ob-
 servatum esse testantur Renatus Choppinus & Antonius
 Mornacius *ad L. 7. de sponsal.* Et Decius *Conf. 577. in*
marito decidit, quod omne illud consequatur, quicquid
in ejus gratiam tabulis dotalibus cautum est, si forte Uxo-
rem

E

rem

- rem benedictione nuptiali jam peracta, non deduci ad genialem thalamum, sed efferri ad thalamum lugubrem contigerit. Et hanc sententiam Salicetus ad L. 6. C. de dot. nat. ant: nupt: quoq; amplectitur, ductam videlicet conjugem, etiam ante copulam decedentem, communionem bonorum ex pacto vel consuetudine debitam adipisci.
- 35 Nimirum quemadmodum apud Romanos sola deductio, ne in domum Sponsi post adhibitum consensum nuptiæ perficiebantur; Ita & nobis ad summam matrimonii celebrationem satis est, si post sponsiones reciprocas Ecclesiastica accedat benedictio, sicq; fides matrimonialis obfignetur; proindeq; cum per conjunctionem illam in facie Ecclesiæ ritè peractam individua ac indissolubilis vitæ contracta societas, & non amplius Sponsus & Sponsa, sed revera Uxor & Maritus effecti sint, nec ad vinculum matrimonii stabiliendum quicquam per concubitum adjici possit, merito etiam jam ab illo tempore, ut societas inchoata & inducta, sic dotis lucrum Marito acquisitum centeri debet. Imò propter singularem dotis favorem pro dote respondendum, monente JCo in L. 70. de J. Dot. L. 8r. pr. de R. J.
- 38 Et cum Authoritatum plaustra hic coacervare superfluum arbitrer, converto me ad argumentorum supra pro negativa allatorum responsionem; Et ad primum, desumptum à cessante ratione & sine dotis ad sustinenda nempe onera matrimonii constitutæ, respondeo ex Bachovio ad Treutl. Vol. 2. Diss. 7. th. 1. lit. D. Ratio lucrandi dotem non tantum pendet à ferendis oneribus, sed etiam à præsumpta voluntate & affectione nuptias contrahentium, atq; de lucro paciscentium, qui interrogati procul dubio respondissent, idem
- 39

idem se obtinere velle, si alter ante consummationem decesserit
 vid. Gail. *Lib. 2. Obs. 80. n. 7.* Si enim illa ratio procederet, 40
 sequeretur omnino, Uxorem nunquam lucrari donatio-
 nem propter nuptias, quoniam illa nulla fert onera matrimo- 41
 nio, & nihilominus lucra solent esse reciproca. Præ-
 terea etiam, antequam ad domum traducitur Uxor, magni
 sumtus fieri possunt in vestimenta aliq; jocalia, qualia
 sunt matrimonialia, & dona certo die fœminis mittenda,
 vid. Paul. Merulan. de Sacrif. Rom pag. 87. itemq; datio
 atq; donatio ornamentorum sponsalitiarumq; largitatum
 veteribus Jctis non ignotarum L. 27. ff. de donat. inter V.
 & U. L. 10. & 15. C. de donat. ant. nupt. vid. addit: ad Zæsium
 Tit. ff. de Jure Dot: n. pen. & Tit. de donat. inter Vir: &
 Ux: Treutl. Disp. & Resp. ad ff. Tit. de Rit. Nupt. Disp. 7.
 qu. 46.

Nec majoris momenti est argumentum secundum, 42
 ubi dotis promissio facta dicebatur sub conditione, si
 ducatur in domum, & seqvatur copula. Verum intelli-
 gendum hoc est de eo, qui aliquid promisit sub conditione
 deductionis, vel in specie secutz copulæ, quo casu ante
 conditionis existentiam nil peti posse, ipsa natura condi-
 tionis importat, arg. §. 4. J. de Verb. Oblig.

Sic quoque parum facit tertio, quod objicieba- 43
 tur stricta interpretatio juris correctorii, à communi
 recedentis cum & alias statuta à Jure communi reced-
 entia strictissimam habeant interpretationem, ut minus
 lædatur Jus commune, siquidem nil fit hic contra, sed
 potius secundum Jus commune, quod vult, ut post
 nuptias contractas dotis nomen ceu perfecto matrimonio
 adfit. Hinc itaq; in casibus, quibus dos cedit marito,
 etiam de jure communi, certum est & tum cedere, quando 44

E 2

matrimonium

- matrimonium perfectum dicitur. Tale autem quando dicatur, supra jam demonstratum. Statutum vero, quod loquitur de acquirenda dote, indistinctè à marito ceu perfecto matrimonio, omnino ex jure communi interpretandum esse, lubens concedo, cujus si strictam & genuinam sequaris explicationem, maritus & matrimonium perfectum dicitur, etiam si nulla consummatio accesserit per ea, quæ supra deducta sunt. Et quamvis de marito per substitutum Uxorem ducente præcise non loquatur statutum, eum tamen Mariti, eorumque nuptias veri & perfecti matrimonii nomine venire, res est clarissima.
- 45 Tandem quarto quando alia conditio objiciebatur, concedo quidem eandem subesse, optimè tamen hæc adimpleri potuisset per contractum matrimonium; nam licet copula carnalis nondum accesserit, matrimonium nihilominus perfectum est: Et actu licet cessante, agentium tamen præsupponitur potentia & habilitas. Imo
- 46 num hæc conditio semper subintelligatur, de eo adhuc est dubium, quid enim si quis duxerit eam, cum quæscienter nullos generare posset liberos? Quid si effeci matrimonium contraxerint?
- 47 Ultimum quod concernit argumentum, respondeo ex *L. 7. ff. de Rit: Nupt:* quod talis persona & Virgo & Uxor vel vidua respectivè vocari possit.
- 48 Marito itaque lucrum dotis rectè attribuimus, licet Uxor momentum saltem post benedictionem sacerdotalem vixerit *arg: L. 11. §. fin: de publ: in rem act:* ubi actio publiciana datur ei, qui uno saltem possedit momento, hocque commodè probari potest ex *L. 127. de R. J.* ubi unicum momentum operatur actionem in hæredem. Et cum alias
- 49
- 50

cum alias jus nostrum momenti rationem habeat in
iis, quæ ad sui esse non requirunt tractum temporis
successivum, utpote conditio, quæ momento suum acci-
pit esse, & adimpleta dicitur eo, quo existit momento. arg:
L. 2. C. de posth: hered: instit: ubi posthumus præteritus
uno momento vivens rumpit testamentum; Et quid ul-
terius progredior, Cardin: Tusch. *Tom. 5. Concl. 309. n. 3.* 51
expressè asserit; quod statutum s. lex, quæ vult, ut mortua
Uxore in matrimonio vir lucretur dorem integram
vel ejus partem, & in eo obtineat, qui per momentum
maritus fuit.

A Successione progredior ad donationem, & quæro: 52
An ejusmodi per substitutum copulata validè donari possit?
Quod prorsus negandum erit, ob illa, quæ supra deducta
sunt, quia nempe revera Uxor est. Donationes autem 53
inter Conjuges prohiberi constat ex *L. 1. seq. ff. de donat:
int. V. & Ux. ne venalia essent matrimonia. L. 2. ff. d. 2. vel
is, qui cum possit donare, non tamen vellet, amore spoliatur.
L. 1. ff. Eod: Vel melior ex Conjugibus in paupertatem incide-
ret, deterior vero ditior fierit. L. 3. pr: ff. Eod: Et hæc pro-
hibitio Juris Civilis tot: tit: ff. & Cod: de donat: int: V. 54
& Uxor: Juri quoque Canonico consentanea, per cap.
donatio. 8. X. d. tit. Mysing: Cent: 2. O. 33.*

Excipitur autem donatio Morgengabica moribus 55
inter Conjuges introducta & approbata, quam facit Ma-
ritus novellæ Uxori, altera nuptiarum die, in compensati-
onem delibatae virginitatis. Mev: ad Jus Lub. *Lib. 1. T. 6.
præm. n. 15. Stryck: Exam: J. Feud. Cap. 7. qu. 2. Struv. Syn-
Jur. Feud. c. 9. th. 4. n. 8. Carpzov: Part: 3. C. 33. d. 20. n. 1.*
seq. Cum autem in dicta Descriptione Morgengabæ 56
dicatur
E 3

dicatur, quod detur in compensationem delibatae virginitatis, merito dubitatur. *An quoque valeat haec donatio, si nondum accesserit concubitus, vel si Maritus moriatur, antequam Uxor ad eum transducatur?*

57

Et certe, si verbis definitionis strictè inhærere velimus, negativè respondendum esset, dum virginitas à substituto delibari non possit, sic igitur ob causam data cessante causarevocantur.

58

Verum si per pactâ dotalia præcedentia talis donatio constituta sit, Uxorem quoque eandem petere posse arbitror, quia non stat per Novellam Uxorem, quo minus concumbat, & quia alias sequeretur, quod Uxor eam petere non posset, si consensio thalami quidem facta, sed

59

concubitus cessaverit. Et hoc optimè expressit Augustinus contra Julianum. *Can. II. caus. 32. qv. 2. Non enim in sola, inquit, commixtione maris & fœmina nuptiarum veritas est, quamvis sine illa commixtione liberos procreare non possint. Sed & alia sunt ad nuptias proprie pertinentia,*

60

sicuti est thori conjugalis fides. Et si concubitus demum verum redderet matrimonium, sequeretur, quod omnes, qui vel continentes fuerunt, vel scientes se non habituros liberos Uxores duxerunt, verum non aluerint matrimonium;

61

& si carnalis copula requireretur ad matrimonii perfectionem, sequeretur, quod in Paradiso, antequam primi parentes peccarant, non fuisset matrimonium, quod tamen falsum; simile Exemplum à Davide legimus;

62

hic enim dum præsenio rigeret, & vestium tegumentis incallescere amplius non posset, Abisag Sunamitidem de consilio Procerum suorum in ultimam duxit Uxorem, non quidem ut prolem ex ea tolleret, quam nunquam cognovit, sed ut interdum officia familiaria sibi præstaret, & noctu

& noctu juvenili calore exsuccum & exsangve corpus
foveret *1. Reg. 1.* Quis autem hocce Davidis matrimoni,
um non pro legitimo haberet? Et quis Henrici Matri,
monium cum Cunigunda verum fuisse negaret? Uxorem
licet & hic à se nunquam compressam fratribus Theodo-
rico Episcopo Metensi & Henrico Duci Lotharingiæ red-
diderit, Vid. pl. Arnifæus de Jure Con: *Cap. 4. Sect. 4. n. 1.*

63

Verum cum in antecedentibus dictum sit, quod
substitutus virginitatem delibare non possit, quæritur
merito: *An legatus, si adulterata Legatione sponsæ affectum*

64

sibi, non Domino devinciat, pœna adulterii affici & pro adultero
haberi possit? Negativam tueri videtur sententiam, quod
cum sibi copulata concubat, dum ei ritè per Ecclesiæ

65

ministrum juncta fuit; Verum respondeo: Non sibi, sed
per se alii esse copulatam; Ipse enim, non suo,
sed Principalis nomine quæstionem de sibi invicem ad

66

vita finem cohabitando affirmat. Et licet ad negativam
adstruendam addi possit, quod Maritus cum ea nondum
rem habuerit, eamq; nondum carnaliter cognoverit, Ergo

67

non esset adulterium, Adulterium enim dicitur violatio
thori alieni; Thorus autem ut domicilium soli viro
adscribitur. *L. 5. ff. de R. N. L. 6. C. de Donat: ante Nupt:* Sed

68

regero, quod si alias in sponiam adulterium committitur,
uti dicitur *Hoseæ 4. v. 13.* & in Rescripto Divi Hadriani
in *L. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de Adult. L. 7. C. Eod.* multo

magis in illam committeretur, ubi non spes sed verum
jam tum adest matrimonium.

Quod autem poenam attinet, insigne oritur dubi-
um: *An capitis an vero fustigationis locum habeat.* Et in-
distinctè pœna capitis eum afficiendum esse arbitror

69

quia

quia revera Uxorem compressit, quæ solenniter à facere dote in conspectu Ecclesiæ & fidelium fidem dedit matrimoniale absentis marito, eidemque plenissimam in corpus suum dedit potestatem. Sufficit nimirum, quod pro Uxore semel declarata, & desuper benedictiones & preces institutæ sint. Carpozov. in Conf. Lib. 2. D. 130;

70 Sed *quæ obtinebit pœna, si Legatus amore puella captus, ipsemet eam in matrimonium ducat, ad quam Regi suo despondendam ac ducendam missus erat?*

71 Exemplum hujus recenset Fried: de Marselaer *de Legat: Lib: 2. Diss: 26. pag: 473.* in Ethevoldo Eduardi Angliæ Regis Legato Isenim ad Orgerium Cornubiæ Ducem missus, ut animadverteret, num Alphreda ejus filia ea esset venustatis præstantia, quâ famâ circumferebatur, num Majestati apta esset; Ut vidit formam, Regi suo statim invidit. Et sic quidem ejusce pulchritudinis species Legati animum corripuit, ut mox corruerit & fidem. Adulterata enim Legatione Alphrædæ affectum, sibi non Domino devincire variis commentis studuit præclarus Regis Vicarius. Reversus itaq; nec digna, nec utilis Uxor futura est Regi renuntiat, & sic forma apud neminem non laudatissima vituperium patiebatur ejus, qui certus & solus ea potiri satagebat. Indoluit Rex & impatientis amoris impetum vix cohibuit. Ubi tamen ardor iste aliquot mensium lapsu infriguisset, Ethevoldus, num sibi Alphredam Uxorem petere liceret à Rege postulat. Annuit Rex, ducitur illa & adducitur; Ast divinam planè & supra fidem formam postquam Rex contemplatus, deprehendisset, quæ parte impostoris sponsi

sponſi Legatio claudicaſſet, pulſus ſuccenti amoris odiqꝫ
 ſtimulis, Alphredam ſtupro vitiavit, necatoqꝫ Ethe-
 voldo in Uxorem habuit; In quo tamen variant, qui
 narrant, teſtante ſupra dicto Authore. Verum tantum
 abeſt, ut hanc Ethevoldo impositam capitis poenam æ-
 quam putem, quin potius iniquam dixerim, imo du-
 riſſimam; licet enim fidem, quo Regi ſuo erat obſtri-
 ctus, quam maxime fregerit, ea propter tamen adulteriũ
 poenam minime incurrit, ſed vel ignominioſa dimiſſione
 vel alia in talem infidelem ſtatuta poena, afficiendus fuiſſet.
 Interim tamen cavendum Principi, ne promiſcuè aut indi-
 ſcriminationem magnum hocce imo tam ſacrum munus cui-
 libet committat, ſed illis ſaltem, quorum fidem ſo-
 lertiamqꝫ ſat exploratam habet. Illuſtre ſolertiae
 Exemplum in Aureliano Clodovæo Francorum Regis
 ad Crotildem Burgundionem Regis ex fratre Neptem Le-
 gato in promptu eſt. Quandoquidem enim, neqꝫ con-
 ſpectus, neqꝫ ſermonis copiam ulli extraneo faceret re-
 gia puella, atqꝫ ita ille neqꝫ exponere neqꝫ excipere
 mandata poſſet, conditionem ſuam mentiens, peregrini
 habitum induit, & in turba Egenorum egredientem
 illam ſtatâ horâ, quâ ſtipem pauperibus ad latus ſacel-
 li diſtribuere conſueverat, exſpectavit; Vix ea aderat,
 & liberalem inter Egenos peregrino porrexit Eleemoſy-
 nam; Ille manum leviter premens, ori admovit; Inſo-
 litum geſtum Princeps admirata, hominem non ſine ali-
 qua indignatione ac ſuſpicionem aſpexit: Inde in Regiam
 reverſa, accerſiri jubet; Ubi cum temeritatis redargu-
 eretur, naſtus, quam quaſierat, oportunitatem, man-
 datum expoſuit: Gallia Regem inclytæ ejus virtutis &
 pulchritudinis radiis ardere, Clodovæum Crotildi devo-
 tum ac mancipatum eſſe. Audiit illa, & oblatum à Le-
 gato annulum, tanquam arrham accepit, O prudens pul-
 chrumqꝫ factum, quo non minus ſibi, quam Gallia
 Aurelianus conſuluit.

E

Atqꝫ

Atque hæc pro demonstrandis Effectibus Matrimo-
 nii per Substitutum contracti sufficiant, plura adduci
 possent, nisi brevitati studerem, & ordinis ratio postu-
 laret, ut & pauca de dissolutione hujus matrimonii adice-
 rem, ubi quæritur: *An Princeps vel Papa dispensare possit
 ut hæc Uxor alii nubat?* Calus hicce contigit in Nuptiis
 Maximiliani cum Anna Britannæ Ducis filia, cujus su-
 pra mentionem fecimus: Cum enim apud nonnullos in-
 troductum sit, ut Magistratui indicetur veniaque petatur,
 si sponsa deducitur; Ita & Oratores Maximiliani inco-
 lume iter à Rege Francorum Carolo IX, cum nova conjuge
 & securitatem deposcunt, quæ omnia illis liberrimè con-
 ceduntur. Cum autem ad locum, qui Francorum Re-
 gi ad institutum visus est idoneus, pervenissent, hanc
 Annam, quasi nulli nuptam, nec per verba de præsentis cui-
 quam devinctam, suo thoro ex Papæ concessione im-
 positam, pro Conjuge habuit Carolus. Imo Papa eandem
 Uxorem viduam fratri quoque concessit, quam tamen
 rem tam ægré tulit Maximilianus, ut verimonias fuisse
 dicatur; Sepost Christum maximam pertulisse injuriam.
 Verum minus rectè hocce matrimonium à Papa disso-
 lutum esse, quisque facillimè videt, siquidem hi veri
 jam sunt conjuges, dum in facie Ecclesiæ publicè alter
 alteri de sibi invicem ad vitæ finem cohabitando fidem
 dedit certissimam. Quos igitur Deus conjunxit homo
 non separet, & quod Deus ligavit, illud & ipse solvat;
 Crantzii Saxoniam Lib: 13, C. 15. n. 26. seqq. item Hubner.
 Hist: Polit: Lib: V. pag: m: 977. Nulla quippe
 creatura contra mandatum Creatoris dispensare potest,
 nec ratione humana permitti possunt ea, quæ jure divino
 prohibita. Beust. de matrimon. Cap. 56. S. Non enim Manent
 igitur hi per substitutum copulati veri Conjuges, & vin-
 culum matrimoniale inter eos non dissolvitur, nisi sen-
 tentia

tentia Judicis rescissoria, ex gravissimis causis faciat dissolvi matrimonium, & quidem ex iis, ob quas alias matrimonium rescindi potest.

Coronidis loco paucis adhuc perquirere lubet: *Mandans petere possit, ut substituto copia detur inspiciendi novellam Uxorem?* Similis controversia inter Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanensem, & Ludovicum Ducem Mantuanensem; Cum enim illius filius Galeatius, hujus filiae Dorotheae desponsatus esset, perit Mediolanensis, ut Dorothea quibusdam Medicis nuda ostenderetur, & hoc Francisci Sfortiae desiderium defendit Franc. Aretinus; Consil. 141. Ejusdemque sententiae fuit Clementina Caroli II. Regis Neapolitani filia, cum Proci Regis Galliae inspectionem submissè rogarent, amici vero dissyaderent, ne se conspicendam exhiberet etiam per linterulam; *Non amittam*, respondit, *regnum Gallie pro ista linterula*, ut ex Summont: *Lib. 3. Hist. Neapol. refert Arnisaus de Jur. Connub. Cap. 3. Sect. 7. n. 7.*

Ludovicus vero Dux Mantuae renuit gratificari Duci Mediolanensi, quia nuditate detegere inter plerasque gentes turpe ac ignominiosum judicatum, uti ex sacris patet literis Esaiae. *Cap. 20. v. 4. & Cap. 47. v. 3. Nah. c. 3. v. 5. Ezech. c. 16. v. 37. & cap. 23. v. 10.* Idemque confirmat Justinianus *pro J. quib. mod. tur. sin. L. ult. C. quand. Tur. esse desin.* Et Ennius pariter ac Cicero *L. 4. Tusculin. sin.* Principium flagitii aestimant nudare inter Cives corpora. Nec virgo honeste à viro sine veste conspici debet. Arnisaus: de *Jur. Connub. Cap. 3. Sect. 7. n. 11.* quod argumentum excussit Tiraquell. *in L. Connub. in L. 4.* quia virgo cum veste deponit quoque verecundiam. Tiraquell. *d. l. n. 11. qui n. 11.* refert: quod Divus Barnabas, cum alicubi vidisset foeminas nudas cum viris ludere, ita rem exhorruisset, ut illis diras imprecatus sit; unde contestim templi ruina secuta est; Idemque refert n. 11. quod Milesiarum virgines poenam, quod

quod corpus nudatum per medium forum palam efferri
debeat, à proprecidio fuerint retractæ;

Quandoq; tamen justæ causæ inspectionem urgere
possunt, quo tamen casu ejusmodi personis inspectio per-
mittenda, quæ sine lascivia & pudore inspectionem pera-
gere possunt. vid. *L. 1. pr. & §. 4. de Ventre insp. Cap. 6. X.
de frigid. Cap. 4. & 14. de probat.* alias periculosa inspe-
ctio fœminæ pulchræ, cujus Exemplum in sacris legimus
in Davide. Ex profanis huc refero Exemplum Impe-
ratoris Antonini Caracallæ qui Juliam Novercam ma-
gnam partem nudam conspiciens, libidine exæstuans,
*Vellem, si liceret, dixit, Julia vero respondit. Si liber, li-
cet; An nescis Imperatores Leges dare, & non accipere.* Item
Exemplum Gyges, qui heræ corpus nudum & for-
mam admirandam videns, hoc nomine Dominum occi-
dit, & heram in Uxorem duxit. Periculosam ergo ju-
dico inspectionem, nisi committatur matronis honestis,
Et sic facile erit ad quæstionem propositam respondere,
quod scilicet substituto inspectio non sit permittenda,
nisi gravissimæ causæ inspectionem urgeant, & causa ex
qua inspectio petita, decisionem quoque dabit in contro-
versia Ducis Mediolanensis & Mantuani.

Et cum sic emensus sim, quæ designaveram, DEO
Ter Optimo Maximo, quò cum cœpi, quod mihi in
pertendâ hâc relâ sua gratia adesse elementer annuerit,
devota mente gratias ago, eumq; porro supplex rogo, velit
studiis meis ulterius adesse, meosq; actus ita dirigere,
ut ejus gloria proximiq; commodum semper semperq;
augeatur. Te vero Amice Lector unicum rogitō,
velis, si quid minus accuratè dictum fuerit in melio-
rem rem partem interpretari, monere, ubi
erratum fuerit, imo modestè
corrigerè.

S. D. G.

VIRO
PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO
DN. JOHANNI de Vermehren/
SERENISSIMI DUCIS MECKLENBUR-
GENSIS REGENTIS
FRIDERICI WILHELMI
CONSILIARIO STATUS INTIMO &c.

vitam & gloriam

precatur

PRÆSES.



Primitias studii juridici, quas ho-
die publice fert filius natus mini-
mus, TIBI, VIR EXCEL-
LENTISSIME, ex animo gra-
tulator. Siquidem major in terris
non datur felicitas, quam si pa-
ter liberos, summâ curâ educatos, in Ecclesia ful-
crum, patriæ emolumentum, atque familia
splendorem, de die in diem, videat excrecentes. Dei
benignitate, TIBI, VIR EXCELLENTISSI-
ME, hæc contigit beatitudo, quod in aggras-
pescente senectute, filiam natus majorem, in Eccle-
sia, filium vero natus minorem in reipublica salu-
tem crescere, tuisque accurate insistere vestigiis obe-
serves. Triennium jam integrum est, cum dile-
ctissimum

Etissimum hunc filium meum committeres informae
tioni, ex quo totus in eo fui, ut solida juris fun-
damenta, filio optimo, avide illa percipienti propi-
narem, & in collegiis examinatoris, in succum
converterem atque sanguinem. Quotidianum
vero hunc meum laborem latitorem reddidit filii
tui admiranda animi alacritas, ingenii felicitas, at-
que iudicii singulare acumen. Accessit, quod in-
dolem, quam ei natura indidit amabilem, mori-
bus honestis, ac vario virtutum genere quotidie red-
diderit amabiliorem. In publicis quoque disputa-
tionibus, saepius incomparabili inventionum acu-
mine argumenta solide elaborata, contra theses ad
disputandum propositas protulit, & acriter oppu-
gnavit. Nunc vero disputationem haud vulgarem,
sine ullo meo auxilio, proprio elaboratam Marte,
eruditorum publico exhibet examini, paratus ela-
borata rationum ponderibus confirmare, & ad-
versus contraria tueri. Ex tam felici ergo studios-
rum decursu merito auspiciatissima quavis auguror.
Interim Deum ardentissimis defatigabo precibus,
ut filium hunc speravissimum in exteris quoque locis
tueatur, ejusque conatibus porro benedicat, quo
illustrem de Bernehren familiam, in dies majori
augeat splendore, optimamque de eo conceptam
spem longe superet. Rostochii e Museo XIV.
Calend. Novembr. A. O. R. MDCCIX.

Geh sehe / Wehrter Freundt / daß Dein erhabner
Sinn /

Den man in Deinen Thun sonst jederzeit verspühret /
Durch diese Kluge Schrift Dir Solle den Gewin /
Der der Gelehrsamkeit mit Zug und Recht gebühret /
Den weil Du Ruhm und Lob bey allen wirst erlangen /
Kansu ja höchstbeglückt mit reicher Ehre prangen.

Du suchest allbereit den hellen Glanz und Schein /
Den dir des Vaters Ruhm gegeben / zu Vermehren
Durch deine Wissenschaft. Was kan Galanter seyn /
Als wen man so wie Du besteigt den Thron der Ehren /
Ich will demnach hiez zu den kurzen Wunsch nur fügen /
Leb' stetig / so wie jetzt verehrt und mit Vergnügen.

Und wen Du vermahlteins zu Ende hast gebracht
Die Studia mit Ruhm / so wünsche ich darneben /
Du werdest bald darauff von einer angelacht /
Die dem / was Du hier lehrst / weiß fleißig nach zuleben.
Doch muß kein fremder hier die Ehe contrahiren,
Du dürftest sonst gar leicht das beste Spiel verlihren.

Dieses schrieb zur Bezeugung seiner
Schuldigkeit

M. A. Willebrandt J. C.

So recht / Geehrtester / so wird die Burg erkletzen /
So samlet man die Frucht des stillen Fleißes ein /
Dein aufgeweckter Geist will nicht verborgen liegen /
Des soll der Lehrer Sig ein klarer Zeuge seyn.

Du

Du zeigest / wie man kan durch andre sich vermindhen /
Davon Dein kluger Mund ein weises Urtheil spricht /
Doch solten Dir / Mein Freund / noch Opponenten fehlen /
So frey Ich Meines Obrts per Substitutum nicht.


Mit diesen wenigen wolte dem Herrn Respondenti
als seinen hochschätzbahren Sønner / Freund
und Bruder Glück wünschend seine Schuldig-
keit ablegen / dessen verbundenster Diener und
Bruder


S. J. Gussner J. U. C.



Nehl Glück / myn gode Fründ / to dehm / wat is
geschreven /
Doe mynen dammen. Höfft heb' is woll braff wat lert /
Doch schäl wy altohop nah juen Beaten leven /
Dat segg' is so woll nich? Dit wär ock ganz verkeht.
Wen wy den Zegenbuck in unsen Koblhoff laten
Tho erst / so fret de Deb de faste Köppe upp /
Un all dat böse Tüg krig'n we in unsen Katen /
Dat ghyft keen goht Bercht / nee lutter klünter Supp.
Drüm indg is junmer hen van Substituten schriben /
Wat geldt in disse Saack by my un ju de Wedd.
Wen my de Ehstand plagt / und ick my schall betwewen
Will ick mit myner Freu sulvs sachte gahn tho Bedd.

Dit schreub en Bube
In Gode Bekandter.






Rostock, Diss., 1706-09

X 237 3042

✓ 18





B.I.G.

Farbkarte #13

17
 C. D. *E. 21. num. 8.*
 DISSERTATIO JURIDICA,
 DE
MATRIMONIO
PER SUBSTITUTUM
CONTRACTO

9386

18.
24
1709,7

CONSENSU ^{QVAM} MAGNIFICÆ FACULTATIS
 JURIDICÆ ROSTOGHIENSIS
 PRÆSIDE
 VIRO PRÆNOBILISSIMO, CONSULTIS
 SIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DN. JOH. JOACHIMO
SCHOEPFFERO,
 JCTO ET PROF. JUR. ORDIN. COMITE PALAT.
 CESAREO, CONSISTORII DUCALIS CONSILIARIO ET
 CANCELLARIÆ MECKLENBURGENSIS VICE-
 DIRECTORE GRAVISSIMO
 DN: FAUTORE ac Studiorum Meorum PROMCTORE atatem colenda
 D, *Octobr; Anno MDCCIX,*
 IN AUDITORIO MAJORI
 HORIS CONSVETIS
 ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET
FRIED: VER MEHREN,
 LL. Stud:

ROSTOCHII,
 Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC. ET ACAD. TYPCGR.

